



R. P. D.

V R S I N O

Valentina Vicariæ.

Luna 7. Iunij 1694.



Ræsupposita generali in beneficialibus the-
rica ad validam beneficij assequutionem ne-
cessariò requiri per prius obtentorum speci-
ficam mentionem, ac eorum data taciturni-
tate Principis rescriptum inualidari, & gra-
tiam vti subreptitiam ipso Iure corruiere,
ita vt beneficium, vt prius vacare dicatur,
ad textus litterales in cap. Si motu proprio, & in cap. Non po-
test, versic. Cum de Præbend. in 6. & cap. Cum adeo, versic. Cum
enim, cap. Ad audientiam il secondo, cap. In nostra de rescriptis,
in his terminis exornatos à Selua de benefc. par. 3. quæst. II.

A

num. 41.

num. 41. *Parif. de Resignat. lib. 10. quest. 2. Garz. de benefic. par. 1. cap. 2. num. 126. Rosa de Exequut. litter. Apost. cap. 5. num. 30. & 306. & tenent Adden. ad decis. 90. num. 89. par. 9. recent. & Rota post Postb. de Manut. decis. 91. in principio;* Non modica hodie excitata fuit controuersia super illius applicatione, & an locum sibi vindicaret solum quoad beneficia antea assequuta compatiblea cum nouiter obtento, an verò etiã quoad incompatiblea militaret, quæ ipso Iure per secundi assequutionem vacare debebant, in qua DD. in classes scissis, nonnulli firmiter tenent nullitatem assequutionis à Iure Canonico inductam ob obtentorum taciturnitatem, verificari solum in compatibleibus, vel in ijs, quæ retineri prætenduntur; secus autem in beneficijs, quæ iam legis ministerio vacare contigit in secundi assequutione, quorum expressio videtur in his terminis superuacanea, prout hac inducta ratione opinionem tuetur *Moneta de commut. ultim. voluntat. cap. 6. num. 253. & seqq. Mascard. de Probat. conclus. 887. num. 26. vbi propositionem firmat retenta sententia antiqui Glossatoris Regularum Cancellariæ, cuius sensui se etiam conformat Cochier. in comment. ad regul. 61. num. 9. Viuian. de Iure patronat. lib. 14. cap. 3. num. 99. qui ex firmatis per Monetam loquitur dubitatiuè, & per verba est probabile. Gonzal. in prima impressione ad regul. 8. Cancell. gloss. 15. S. 2. n. 68. & Rota coram Mohedan. decis. 14. de Prabend. aliàs 171. num. 3. & per totam.*

Rationemque disparitatis inter obtenta, quæ compati possunt, ac incompatiblea, memoratæ opinionis sectatores eam reddunt, vt eatenus sit opus exprimere compatiblea, quia cum sit Sacris Canonibus aduersatiua beneficiorum pluralitas, Papa debet esse instructus de multiplicitate, & qualitate retentorum, cum forsan ex illa iuridicè moueri posset ad denegandam gratiam, quod non applicatur si primum beneficium est cum secundo incompatible, & per illius assequutionem ipso Iure vacare debet, quia tunc Papa ex illius narratiua difficilior non redderetur ad gratiam concedendam, quam proinde nec vitari autumant à taciturnitate ad ea, quæ tradit *Mascard. de probation. citat. lib. 2. concl. 887. num. 31. & 33. & communiter superiùs relati.*

Contrarium tamen vti firmiori rationum, & auctoritatum calculo fulcitum, hodiè DD. tenuerunt, firmantes sensum, in asse-

afequutione fecundi beneficij, prioris etiamfi incompatibili-
 lis, & ipfo Iure vacaturi, mentionem faciendam effe, ità fuafì
 à litterali fàctione textus in cap. *Postulasti* 27. de *refcriptis*,
 vbi Innocentius Tertius à Cypriano Epifcopo Vvatiflauienfi
 confultus, per ea quæ tradit *Gonzal. in hunc textum*, ità ref-
 pondit -- *Quod cum per formam prædictam neceffitibus Pau-*
perum Clericorum, qui nullum fcilicet Ecclefiafticum Beneficium
affequuti, ficut ibidem exprimi confuevit Sedes Apoftolica duxe-
rit succurrendum, perpetuus Vicarius, nifi de Vicaria fecerit
mentionem, commodum reportare non debet, de huiusmodi lit-
teris, utpotè veritate tacita impetratis; Non enim carere Be-
neficio Ecclefiaftico dici debet, cui competenter de perpetuæ Vi-
caria prouentibus eft prouifum, & pro habenti beneficij fufficien-
tis fubfidium, ex certa fcientia fuper obtinendo alio beneficio
de leui non fcribimus, quin faciamus de primo in noftris litteris
mentionem -- Ex qua aperta fàctione, cum refultet prouifio-
 nem obtentam de Beneficio fecundùm formam Apoftolicã,
 per quam succurritur Clericis Altari inferuientibus, nullam
 effe non facta mentione Vicariæ perpetuæ obtentæ, emergit
 generalis propositio incompatibilium retentionem Papæ
 narrandam effe, ne gratia ob tacitam veritatem nulla rema-
 neat, per ea, quæ in fpecie animaduertit *Gonzalez Tellez in*
cap. ad aures de refcriptis, vbi Abb. num. 9. per hæc fingula-
 ria verba quæftionem decidit -- *Aut per receptionem fecundi*
vacat primum ipfo factò, & eft maius dubium, de fubtilitate,
& rigore teneo fententiam Cald., quia fi fortè Papa fciiiffet de
qualitatibus primi non abfoluiffet eum à primo Beneficio conce-
dendo fibi fecundum, & facit ratio in cap. Postulasti: Et ibidem
Felin. num. 4. Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. gloss. 15. §. 2.
num. 6. verf. Aduerte, vbi fe retractat ab opinione priùs tenta,
& fe adfcribit claffi requirentium mentionem incompati-
bilium, afferens opinionem hanc veriore effe, & magis
communem, vt videre eft in fecunda imprefione poft Au-
ctoris obitum ædita cum additionibus ex ipfius manu fcripto
exemplari erutis, quam cum non vidiffet Garzia, idcirco
pro contraria fententia Gonzalez allegat, & refutat. Corrad.
in prax. difpenfat. lib. 7. cap. 4. num. 51. Garz. de Benefic.
par. prima cap. 2. num. 126. & feqq. vbi refert ad affumptum
 indiuidualem noftri Auditoris refolutionem in *Calagurita-*

ua Canonatus, & Præbendæ 23. Martij 1579. coram Blanchetto, & sequitur coram Seraphin. decis. 483. per totam, & penès Coccin. decis. 1639. & 1662., & fuit articulo examinato decisum in Burgi Sancti Sepulchri Prioratus 27. Junij 1688. coram Reuerendissimo Mediolanen.

Ratio autem animatiua optimè deducitur à memorato textu *in cap. Postulasti*, cum enim ibi Papa protestetur non de facili litteras impartiri super nouo beneficio aliud obtinentibus, duplex emergit ponderatio, per quam Pontifex difficilior reddi potest ad gratiæ concessionem narrata alterius etiam consimilis Beneficij assequutione: Prima est, quia forsitan Papa considerato seruitio Ecclesiæ, cui addictus est Impetrans, ad refrenandum ambitionis, & auaritiæ fucum, quo fortassè duci valeret nouam exquirere gratiam, retrahi posset ab illa concedenda, prouido nolens consilio, absolueret Impetrantem à vinculo prioris beneficij, vt firmitus roboretur in vocatione, qua primitus vocatus est, cum id pastoralis officij sollicitudo secundum facti circumstantias exposcat. Altera verò residet in eo, quod cum potiora Iura, Canonice sanctiones super vacaturis Beneficijs impartiantur pauperibus Clericis nullo Ecclesiastico subsidio prouisis, quam cæteris iam Beneficiatis, potuisset Papa narrata alterius Beneficij impetratione, excludere iam prouisum præferendo non Beneficiatum, sicque cum dari posset casus, vt ex mentione Princeps difficilior redderetur, expressio semper est necessaria, ad notissimum Textum *in cap. super litteris de rescriptis*, his, & consimilibus argumentis exornatum ab *Abbate in cap. Ad Aures num. 9. & Felin. ibidem num. 3. de rescript. ac innuit punctualissimè Rota coram Seraph. dec. 483. num. 7. vers. sed in cura.*

Tantaque est vis ponderatarum rationum, vt nulla emergat differentia si Beneficia primo obtenta sint eiusdem, vel diuersæ speciei cum nouiter assequuto, cum non ex qualitate Beneficij, & maiori, vel minori aptitudine Beneficiati requiratur expressio, sed à ratione impulsiva nouæ gratiæ denegandæ, quam Papa depromere valeret à narratiua primeuæ prouisionis, quam ad hunc effectum exprimentam esse Doctores considerant, vt ratione eruta à *cap. postulasti* sæpius laudato firmant *Abb. cæterique DD. nuper allegati.*

Hoc

Hoc igitur retento themate nil vrget, quod stante vacatione primi obtenti, quæ ipso iure resultat ab assequutione secundi, excludatur Beneficiorum multiplicitas, quæ regulariter est ratio finalis, & motiua denegandi nouam prouisionem, & qua tacita resultat subreptio. Nam vitium subreptionis non tantum exoritur quando Impetrans reticuit causam finalem, & inductiuam, qua regulariter Papa moueri solet ad gratiam denegandam, sed etiamsi tacuerit id, à quo Papa impelli posset ad non concedendum, licet aliàs concesserit, dummodò non tam facilè, per indiuiduam *Abbatis* doctrinam in cap. *Postulasti num. 1. litt. F. vers. Ex quo colligitur*, vbi in nostris terminis ita concludit -- *Ex quo colligitur, quod subreptio vitiat litteras, nedum quando fuit causa inductiua, & finalis gratia, seu rescripti, sed etiamsi fuit causa impulsua, ut quia Princeps aliàs concessisset cessante subreptione, sed non tam facile; unde subreptio fuit causa impellens, & sic habes casum notabilem, & singularem, quo cessante causa inductiua, seu causa impulsua existente falsa corrumpit dispositio, & hoc est in odium materia Beneficialis propter ambitionem reprimendam --*

Hinc vim aliquam non faciunt Doctores, & rationes pro prima opinione allegati, nam omnia refutantur solidioribus argumentis à tenentibus contrariam sententiam, vt ex superius animaduersis, immò aliqui eorum se retractant, vt *Gonzalez*, alij loquuntur dubitatiuè, vt *Viuianus*, quidam se vniformant sensui antiqui *Glossatoris* communiter reprobati vt loquentis perfunctoriè, & sine auctoritate, vt *Kochier*, & *Mascardus*, alij denique hypothesi non applicantur, vt *decisio 14. Mubedani*, ea enim firmat necessariam non esse mentionem qualitatis primi obtenti, vtpotè, quod *Canonicatus* possideretur sub eodem tecto illius nouiter impetrati, à quo inferri non valet ad mentionem faciendam Beneficij absolutè considerati, prout explicat *Garz. de Benefic. part. 1. cap. 2. num. 127. & seqq.* Proindeque contraponi non merentur tot insignibus Doctores præcisè in casu loquentibus, totque nostri Tribunalis resolutionibus articulo seriò examinato editis.

His itaque maturè præhabitis, iure merito hodiè Patres responderunt litteras Apostolicas Laurentij esse exequendas; Cum enim illæ in partibus respicientibus vnionem controuersæ Vicariæ, & valorem verificentur à confessione Collitigantis in alijs Apostolicis litteris emissa, frustra quoad illas iustificatio

catio contenditur, & quoad fundamentum gratiæ sistens in vacatione Beneficij, vt prius ob impetratam à Hyacinto Vicariam non facta mentione alterius Vicariæ perpetuæ S. Valerij, quam prius obtinebat, cum ex superius deductis satis remaneat iustificatum, hinc de plano intrat rescriptum pro litterarum Apostolicarum executione.

Neque releuabat, quod stante opinionum contrarietate super narratione facienda, vel omittenda prioris obtenti incompatibilis, Hyacinto opitulari debeat bona fides, cuius tutamine excusari valeat à nullitate prouisionis, prout hoc admissio motiuo resoluit *Rota coram Coccin. in allegat. decis. 1639. n. 11.* Etenim bona fides tunc intento deseruit, quando cū dubietate iuris concurrat mixtā facti ignorantia, vt erat in casu *decisionis Coccini* in obiecto laudatæ, sicut clarè præfere lectura illius confirmatoriæ apud eundem *Coccin. dec. 1662. n. 7. 8. & seq.* Secus autem quando sola iuris ignorantia concurrat, quæ nunquam excusat à pœna à iure inflictâ ob nullitatem actus, vt in præcis terminis firmat *Gloss. in cap. Ad aures, verb. Taceatur, de rescript.*, & ibi *Archidiacon. nu. 2.*, *Corrad. in prax. dispens. lib. 7. cap. 4. num. 51.*, *Rosa de execut. litt. Apostol. cap. 5. num. 32.*

Potissimùm in facti specie, in qua post editam *decisionem Seraph. la 483.* concors DD. inoleuit opinio incompatibilium etiam faciendam esse mentionem, itaut ferè nullus de hoc dubitauerit, sicque ignorantia esset nimis supina, ac inepta sufficientem bonam fidem præstare ad validandum actum aliàs de iure vitiatum.

Minusque obsistebat Pontificem in regula 55. de valore mandasse exprimendum esse valorem prius obtentorum exceptis illis, quæ vigore vltimæ prouisionis vel voluntariè, vel de iure dimittere teneretur; Nam ab expressione valoris non currit argumentum ad mentionem de Beneficio faciendam: Diuersæ namque sunt dispositiones, disparatis rationibus Papa in ijs ita sancit, ac diuersa legali censura vna ab altera lege contradistinguitur. Valoris namque, expressionem Papa exigit, vt secundum personarum qualitatem redditus Ecclesiæ distribuat; mentionem verò obtentorum requirit ne oscitanter quis à priori vinculo absoluat, vel præferatur non Beneficiario, vt benè per *Abbat. in dicto cap. Ad aures, de rescript. num. 5. versic. Puto tamen, & num. 9.* Vnde cum à diuersis

uerſis de iure non fiat illatio, à regula de valore exprimenda ad limitationem *Text. in cap. Poſtulaſti, de reſcript.* minus iuridicè arguitur.

Demùm nihil vrgebat ſubreptionem in caſu vitari ex quo Vicaria Sancti Valerij per priùs à Hyacinto obtenta vnita erat dignitati Sacriſtæ Cathedralis Valentiniæ, itaut ſuper ea non potuerit Papa in prouiſione alterius apponere decretum vacationis eo ipſo, & reſeruationis fauore Sedis Apoſtolicæ. Nam præmiſſo contrarium eſſe ſtylum Datarie, & Papam poſſe etiam in Vicarijs ad nominationem apponere reſeruationis ſpecialis Decretum, per eas, quæ articulo formiter diſputato firmavit *Rota in Lauden. Vicaria 29. Martij*, confirmata 14. *Iunij currentis anni coram R. P. D. meo Caprara.* Satisfacit reſponſio, neceſſitatem expreſſionis primi obtenti incompatibilis non exoriri ab intereſſe Sedis Apoſtolicæ, quod in hypotheſi minimè ſpectatur, ſed à diſpoſitione iuris reſiſtentis taciturnitati obtentorum ob poſſibilem Papæ voluntatem concedendi, vel denegandi gratiam, quæ cum æquè benè militet ſiue incompatible Papæ reſeruetur, ſiue non, idcirco ex vi regulæ omnia beneficia indiſtinctè comprehendit, ex theoricis ſupra firmatis.

Et ita vtraque Parte audita concluſum fuit in cauſa &c.

ROMÆ MDCXCIV.

Ex Typographia Reuerendæ Camerae Apoſt.

SUPERIORVM FACVLTATE.

